

mia constat, compendia refert; cum Decretum septemdecim partes completatur.

Ut proinde non sine fundamento credat Vir Clarissimus Stephanus Baluzius, Ivonem primo scripsisse Panormiam, & præfationem sive Prologum eodem tempore confecisse, quæ postea magno Decretalium Volumini præfixa est.

Cum enim videret Panormiam favorabiliter acceptam in manibus studiosorum versari, majus Opus aggressus est, in quo & causas tractaret abundantius, & præterea excurreret ultra terminos Panormiæ præfixos. Ergo incipiens rursus a Prologo Opus, quod in 8. tantum partes dividerat, nunc in 17. distribuit, mutato tamen ordine, a Burchardo nimirum non multum absumili.

Prima pars Decreti agit de Sacramento Baptismi & Confirmationis. 2. De Eucharistia, Sacrificio Missæ, & reliquis Sacramentis. 3. De Ecclesia, & rebus Ecclesiasticis, & earundem reverentiâ & observatione. 4. De Festivitatibus & Jejunii; Scripturis Canonici; Consuetudinibus & Celebratione Concilii. 5. De Primatu R. E. de Jure Primatum, Metropolitanorum & Episcoporum, eorumque Ordinatione & Dignitate. 6. De Clericorum conversatione & ordinatione, & correctione, & causis. 7. De Monachorum & Monacharum singularitate & quiete; & penitentia eorum, qui a proposito recesserunt. 8. De legitimis Conjugiis, de Virginibus & Viduis non velatis, de Raptoribus earum, de Concubinis & penitentia singulorum. 9. De diversis generis Fornicatione: & in qua linea Fideles coniungi & separari debeant: & de correctione & penitentia singulorum. 10. De variis homicidiorum generibus, & singulorum penitentia. 11. De diversis speciebus Magiæ, & earum penitentia. 13. De Furibus & Ufurariis: de Venatoribus: de Maledicis & contentiosis: de Commessionibus & ebrietatibus: de Furiosis: de Judæis. 14. De Excommunicatione; & quibus de

causis, & quo ordine faciendâ sit. 15. De Penitentia sanorum & infirmorum; & quâ commutatione leniri possit penitentia. 16. De Officiis Laicorum, & causis eorundem. 17. Continet speculativas SS. Patrum sententias de Fide, Spe, & Charitate.

Compendium Panormiæ, ut dixi, inveniet Lector ad calcem prologi ab ipso Ivone descriptum.

Sive Decretum sive Panormiam spectes, plurima, in omni materia, repertiuntur in compendio coæservata Conciliorum & Pontificum sanctissima Decreta; Sanctorum Patrum gravissimæ sententiæ; aliæ veneranda antiquitatis monumenta; ut proinde non sine fructu hæc Ivonis opera revolvantur; modo tamen cum adhibito discretionis sale apocrypha a sinceris secernantur.

Verum præ omnibus lectu dignissimus est prologus utriusque operi præfixus; in quo Ivonis non tantum eruditio, sed & verissima Sanctorum scientia mire relucet; dilucide pariter ac docte exponendo, quomodo in iis, quæ disciplinae sunt, Ecclesiæ Prælati versari debeant.

In primis hanc figit fundamentalem regulam; quod omnis disciplina Ecclesiastica principaliter habeat, hanc intentionem, vel omnem adificationem adversus scientiam Christi se erigentem destruere, vel adificationem Dei, fidei veritate, & morum honestate constantem construere, vel eandem si contaminata fuerit, penitentia remediis emundare. Hujus adificationis magistra est charitas, quæ saluti proximorum consulens, id præcipit aliis fieri, quod sibi quisque vult ab aliis impendi. Quicumque ergo Ecclesiasticus Doctor, Ecclesiasticas Regulas ita interpretatur aut moderatur, ut ad regnum charitatis cuncta, quæ docuerit, vel exposuerit, referat, nec peccat, nec errat; cum saluti proximorum consulens, ad finem sacris institutionibus debitum pervenire intendat. Unde dicit B. Augustinus de disciplina Ecclesiasticæ tractans: „charitatem habe, & fac quidquid vis.

Compendium Panormiæ.

Utrumque opus lectu utilissimum.

Præcipue prologus.

In qua exponit, quomodo Prælati Ecclesiæ in omnibus saluti proximorum consulere debent.